



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



5
I. N. J. C. C.
COLLEGI
SYNOPTICI
LOGICA^{Ex}

DISP: VII.

tradens

PRÆDICABILE NEGATIVUM

Quam

PRÆSIDE

M. GEORGIO VVAGNERO,

Colleg. Phil: Adj:

RESPONDENS

PETRUS Gude/

LebaviensisLusat: Phil: ac Theol: Studios:
amicae philosophantium collationi

D. XXX. Mart. Ann. Christi M.DC.LXXII.

*In Auditorio Majori Horis consuetis
subjicit.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

COLLEGIUM

SYNOPTICI

LOGICA

DISP. VII.

PRAEDICABILE NEGATIVUM

PRÆSIDIO

M. GEORGIO VVACNERO

Colleg. Phil. &c.

PETRI S. GUILI.

Lebansdorf, im 1. Theil der 1. Abth.

D. XXX. Marc. Ann. Christi M.DC.LXXII.

In Auditorio Majoris Horti confectis

WITTEBERG

Typo JOHANNIS BORKHARDI Acad. Typogr.



Incipe office, perface, mi Jesu.

MEMBR: II.

DE PRÆDICABILI NEGATIVO.

SEGMENT: I. POSITIV.

PRÆC: I.

Prædicabile negativum est, quod de alio negari potest.

exθ.

§. 1. *Ad Subj:* hoc prædicabile dicitur Negativum, quia imbibit modum prædicandi negativum à rebus & conceptibus dissentaneis dependentem, vi cujus, illud cum alia non conjungi, sed ab alio disjungi potest.

§. 2. *Ad Prædicat:* consistit igitur hoc prædicabile formaliter in remotivâ prædicabilitate, adeò, ut secundum illam conceptus cum conceptu, propter suam diversitatem in prædicando non contineri, sed à se invicem disjungi debeat & possit. Ubi tamen requisita debent observari veræ oppositionis. Sic v. c. cum planta & brutum, sint diversi conceptus, unus cum alio non combinari, adeoq; affirmari, sed unus ab alio removeri, adeoq; negari potest & debet, ita, ut dicatur Planta non est brutum.

PRÆC. II.

Prædicabile negativum est I. Primarium I. Secundarium.

exθ.

§. 1. *Primarium est, quod primariò imbibit modum prædicandi negativum. Suntq; Dissparata & Opposita.*

§. 2. *Secundarium est, quod secundariò imbibit modum prædicandi negativum. Suntq; Prius, Simul, Motus, Habere.*

SEGM: II. DIRECT.

CANON:

I. Terminus dissentaneus fundat modum prædicandi negativum.

exθ.

Sicut rerum consensus fundat modum prædicandi affirmativum: ita rerum dissensus sustentat modum dicendi negativum. Nam propter identitatem termini conjunguntur, & de se invicem affirmantur

A 2

tur

tur: per *diversitatem* verò disjunguntur à sese mutuò, adeoq; negantur de se invicem.

II. *Repugnantia* (s. *opposita generaliter sumta prout includunt, tam disparata, quàm opposita in specie talia*) non possunt verè tribui eidem, secundum idem, ad idem, eodem modo, eodemq; durationis momento.

enb.

Dicitur 1. quod termini repugnantes nequeant affirmari verè, falso enim repugnantia de uno subjecto affirmari non repugnat. v. c. Bucephalus est brutum, Bucephalus est homo 2. quod EIDEM, sc: Subjecto singulari non possint tribui. Universali enim subjecto attribui possunt. Rectè dicitur animal est rationale, animal est irrationale. 3. *juxta idem* i. e. secundum eandem partem: nam secundum diversas partes non pugnant. v. c. athiopem esse album & nigrum. 4. *ad idem*, h. e. juxta eundem respectum. Nam diverso respectu non repugnat eundem hominem v. c. esse Patrem & filium. 5. *Eodem modo*: diverso siquidem modo, non repugnat. v. c. aliquid esse & frigidum & calidum: frigidum formaliter, calidum efficienter. 6. *Eodem durationis momento*. Diverso enim & alio durationis momento aliquid v. c. & sanum, & ægrum esse potest.

SEGM. III. DISPUTAT.

Q. *In quonam predicabile Negativum discriminetur à Predicabili Affirmativo?*

Resp. In diversâ prædicabilitate. Negativum enim prædicabile consistit in *prædicabilitate remotivâ*, per quam unum ab alio removeri solet: Prædicabile autem Affirmativum absolvitur *prædicabilitate combinativâ*, cujus beneficio, unum cum alio combinatur atque conspirat. Illud innititur *diversitati*: hoc autem *identitati*.

ARTICUL. I.

DE DISPARATIS ATQVE OPPOSITIS.
PUNCT. I. POSITIV.

PRÆC. I.

Disparata sunt Prædicabilia negativa primaria, quorum unum de

*de multis equaliter dici potest. Suntq; l. purè l. impurè talia
en. 9.*

§.1. *Ad Subj.* Disparata dicuntur quasi disseparata, quòd separatas habeant essentias. Licet autem hoc omnibus dissentaneis conveniat, specialiter tamen accommodatur iis, ubi unum multis opponitur eodem oppositionis genere. Unde disparata dicuntur talia, non localiter, quasi per locorum intervalla distare debeant (possunt enim inter se uniri salvâ ipsorum integritate) sed essentialiter, quia essentiarum diversitate differunt. Alio nomine dicuntur *diversa sine pugna.*

§.2. *Ad Prædicat:* (α) *Conceptus contrahib:* est *Prædicabilia negativa.* Latius enim patet hæc notio, quàm quidem disparata; cum eadem oppositis quoq; conveniat. *Essentialiter* deinde atq; *proximè* dicitur de Disparatis cum inter prædicabilia negativa & disparata nihil mediet, ipsaq; prædicabilitas negativa imbibatur à disparatis. (β) *Conceptus contrahens* absolvitur disparatorum requisitis, quorum prius est ut disparatum dicatur negativè *de multis*: Posteriorius autem est ut disparatum de multis prædicetur *pariter*, hoc est, *eodem repugnantie genere s. modo.* Nam diverso repugnantie modo, non repugnat etiam opposita multis opponi. Sic Virtus opponitur vitio, homini, cæcitati, non virtuti &c. sed non eodem oppositionis genere. Vitio Virtus opponitur *contrariè*: homini & cæcitati *disparatè*: non-Virtuti, *contradictoriè.*

§.3. *Disparata purè s. absolutè talia sunt, quæ nullo modo sibi opponuntur.* Sc: oppositione strictè dictâ. Talia disparata sunt Scientia, Pietas, Sanitas it: Metaphysica, Physica, quæ ob essentiam distinctam, dicuntur species contradistinctæ.

§.4. *Disparata impurè s. secundum quid talia sunt, quæ aliquo modo sibi opponuntur.* Qvalia sunt Volatile, terrestre, aquatile. Nam volatile opponitur terrestri & aquatili: atq; inde animal est & volatile, & terrestre, & aquatile.

PRÆC. II.

Opposita sunt prædicabilia negativa primaria, quorum unum eodem tantum repugnandi modo prædicari potest de uno.

A 3

Ad

εκθ.

§.1. *Ad Subj.* Vox oppositi h. l. non sumitur (1) *latè* in quantum & disparata & opposita pressè dicta complectitur, sed *strictè* in contradistinctione, ad disparata. Neq; (2) Opposita jam spectantur *ὄντως* s. Ontologicè, prout referuntur ad membrum disjunctæ affectionis: sed *ὀργανικῶς* s. Logicè. Neq; tamen (3) hoc modo *complexè*, quatenus dicunt *oppositionem Enunciativam*: sed *incomplexè*, prout illa deserviunt primæ mentis operationi.

§.2. *Ad Prædic.* (α) *Conceptus latior* patet. (β) *Conceptus strictior* constat partim *Materiali*, quod est prædicabile negativum. partim *Formali*, quod consistit in eodem repugnandi modo ad unum. Ubi duo latent oppositorum *περσικεῖσθα* i. ut opposita uni (incomplexo) non pluribus (sc. eodem repugnandi modo) opponantur. Et ita excluduntur (a) *Opposita complexa* s. oppositio Enunciationum, quæ unum complexum opponitur altero complexo (b) *Disparata*, quæ pluribus, non uni eodem repugnantia genere opponitur. 2. *Ut eodem repugnandi modo opponantur.* Diverso enim repugnandi modo, etiam opposita possunt multis opponi. Sic albedo, quando opponitur nigredini, verum est oppositum, quandoquidem unum tantum eodem repugnandi modo opponatur.

PRÆC. III.

Oppositorum alia sunt Positiva, alia Negativa.

εκθ.

§.1. *Opposita Positiva sunt Opposita Contraria & Relativa: Negativa sunt Contradictoria & Privativa.*

§.2. Fundamentum hujus divisionis est *diversus terminus*. Terminus enim oppositorum est l. *positivus* l. *negativus*. Si est *positivus*, tunc erit l. *Absolutus* & inde oriuntur opposita *conturria*, ubi oppositio datur inter entia absoluta. l. *Relativus*: & inde emergit *oppositio Relativa*. Sin autem terminus est negativus, tunc ille est l. *simpliciter negativus* & inde consurgit oppositio *contradictoria*. l. *privativus* s. *negativus* secundum quid, quando respectus habetur ad determinatum subjectum & inde resultat oppositio *privativa*.

PRÆC. IV.

Opposita contraria prædicabiliter spectata sunt contrarie qualitates

rates quarum una, de alia non affirmari, sed negari solet.
ε'κθ.

§.1. *Ad Subj.* Contrarietas jam capitur non *Entitativè*, prout Entitatem obtinet, sed *prædicativè* in quantum sustinet prædicandi modum. Neq; tamen ita, *affirmativè* aut *subordinativè*, quomodo inferiora subjiciuntur superioribus: aut *relativè*, ad sua subjecta: sed *negativè* & *oppositivè* prout unum contrarium de alio dici nequit.

§.2. *Ad Prædicat.* Prædicabilitatis *materiale*, in his oppositis sunt opposita *positiva absoluta*. I. breviter: *Qualitates sibi invicem opposita*. *Formale* autem consistit in negativâ prædicabilitate, vi cuius prædicatum cum subjecto non conjungi, sed ab eodem disjungi potest. Hinc propullulat prædicabilitas contraria: quæ Ratione materialis dicitur contraria: ratione autem formalis dicitur prædicabilitas in ordine ad contraria. Sic v.c. non possum dicere, frigus est calor. Sed frigus non est calor. Calor enim tanquam prædicatum, à subjecto, quod est frigus, debet divelli, non conjungi.

PRÆC. V.

Relativè opposita sub modo prædicandi pensitata sunt Relatum & Correlatum modo prædicandi negativo affecta.

ε'κθ.

§.1. *Ad Subj.* Relata jam non spectantur *affirmativè*, quatenus unum de altero *affirmatur*: sed *negativè* prout unum *relatorum* de altero negatur, ut: cum dicitur Sponsus non est Sponsa.

§.2. *Ad Prædic.* (1) *Materiale*, sunt conceptus relativi, sub oppositione spectati. (2) *Formale* absolvitur modo prædicandi negativo. In quantum enim conceptus relativi vestiuntur modo prædicandi negativo, in tantum induunt naturam prædicabilium negativorum.

PRÆC. VI.

Oppositio contradictoria est quâ Ens positivum non potest dici de Ente negativo: & vice versâ.

ε'κθ.

§.1. *Ad Subj.* Oppositio contradictoria hîc loci non intelligitur *complexa*, quæ inter propositionem *universaliter* affirmantem & par-

& particulariter negantem, & vice versâ, intercedit: sed *incomplexa*, quæ termino positivo & purè negativo, solet esse propria. Atq; hæc est maxima oppositio, cum maximam inter terminos oppositos inferat distantiam.

§. 2. *Ad Prædicat.* (1) *Materiale* hujus oppositionis sunt Conceptus rei *cum positive, tum negativa*, in ordine ad prædicabilitatem negativam. (2) *Formale* consistit in *prædicabilitate negativa*, ut conceptus rei positivæ negari possit de conceptu rei negativæ: & conceptus rei negativæ aptus natus sit negari de conceptu rei positivæ. Atq; hinc nascitur *prædicabilitas contradictoria*. Sic v. c. *Ens & non Ens. Arbor & non arbor*, opponuntur sibi contradictoriè.

PRÆC. VII.

Oppositio privativa est secundum quam conceptus entis positivi de conceptu entis privativi; & conceptus entis privativi, de conceptu entis positivi affirmari nequit.

ε'κθ.

§. 1. *Ad Subj.* Vox privationis jam non accipitur *πραγματικῶς* s. realiter, l. *entitativè*, sicut in Ontologia accipi solet. l. *cognoscitivè*, prout in Gnostologia adhibetur: sed *δευτερολογικῶς* s. secundo-notionaliter, in quantum sub modo prædicandi negativo spectatur.

§. 2. *ad Prædicat.* (1) *Materiale* hujus prædicabilis est Conceptus Entis, eam positivæ, quam privativæ. (2) *Formale*, absolvitur prædicabilitate negativâ, cujus respectu unus conceptus de alio privativè opposito negari potest. Atq; hinc resultat *prædicabilitas privativa*. *Prædicabilitas*, propter modum prædicandi: *privativa* respectu materialis dicitur.

PUNCT. II. DIRECTIVUM.

CANON:

1. *Uno disparatorum posito, tolluntur reliqua.*

ε'κθ.

Sc. *secundum esse*, non *secundum inesse*, ut sensus sit, quod est essentia unius disparati, non est essentia reliquorum, ideoq; positâ unâ disparati essentiâ, tolluntur reliquæ. Nam si intelligatur canon te-

cur.

eundem positionem, quoad inesse, sanè illi, cui unum Disparato-
rum inest, non statim denegantur inesse reliqua, cum in eodem
Subjecto disparatas species accidentium reperiri non impli-
cet.

II. *Opposita supponunt requisita legitima diversitatis s. oppo-
sitionis generatim accepta.*

exθ.

(1) *Opposita speciatim in contradistinctione ad opposita latè sum-
ta.* (2) *Supponunt, tanquam subordinata oppositioni generaliter
acceptæ, proprietates illius, quales sunt dici (α) de eodem subjecto
singulari (β) juxta idem (γ) ad idem, (δ) eodem modo (ε) Eodem dura-
tionis momento.*

III. *Contraria distant sub eodem genere, sunt circa idem sub-
jectum, non tamen in eodem subjecto.*

exθ.

Sc: simul. Veritas autem presentis canonis patet, ex definitione
contrariorum.

IV. *Unum uni contrariatur.*

exθ.

Sc: per se, & directè.

V. *Posito uno contrariorum, ponitur & alterum.*

exθ.

Sc: non eo sensu, quod alterum contrarium simul inest in eodem
subjecto, sed quod saltem detur. Et ratio est, quod contra-
rium, respectu alicujus contrarij, dicatur contrarium, quo ne-
gato & totaliter sublato, contrarium non est.

VI. *Cui unum relatorum tribuitur illi demitur alterum.*

exθ.

Sc: respectu ejusdem termini. Sic qui est altetius Pater, non est
Filius. Deinde distingvimus inter ablationem quoad vocem &
quoad rem. Ablatio hic potissimum intelligenda est secun-
dum rem; nam secundum vocem, cui tribuitur unum relatorum
sæpe & tribuitur alterum, quoniam sc. relatum & correlatum no-

B

mine

mine conveniunt. Qvalia sunt Frater & Frater: Amicus & a-
micus.

VII. Relata non habent medium.

ἐκθ.

Sc: medium per participationem utriusq; extremi, quale est
fuscum inter album & nigrum. Non enim datur aliquid quod
respectu ejusdem termini sit e.g. partim dominus, partim servus,
partim Pater partim filius: non tamen repugnat relatis medium
per negationem. Sic datur medium v.c. lapis, qui nec est Pater
nec filius.

VIII. Contradictoria de eodem subjecto verificari nequeunt.

ἐκθ.

Maxima enim distantia est inter esse & non esse, s. inter contra-
dictoria. Jam v. impossibile est, simul idem esse & non esse. v.c.
pium esse & non esse pium, de eodem subjecto verificari ne-
quit.

IX. Privationis nulla est vis, nulla efficacia.

ἐκθ.

I. Dist: inter *privationem simplicem*, quæ nudam infert caren-
tiam rei inesse debitæ: & inter *habitualement s. compositam*, quæ si-
mul habitum corruptum introducit & conjuncta est cum con-
trariâ positivâ forma. Canon valet de priori: nam v. c. pecca-
tum originis, vitia ethica, morbi, sunt quidem privationes, sed
non simplices & nudæ, verum compositæ; hinc ipsæ omninò
sunt ἐνεργητικαὶ s. operativæ. 2. Dist: inter privationem *quæ ta-
lem*, & sic ab illâ nullus influxus & effectus positivus pendet,
tum effectus virtutem suæ causæ non possit excedere: Et *quæ
ætenus sub alia ratione consideratur*. Quomodo ei actus aliquis
adscribi potest l. consecutivè, l. occasionaliter l. meritorie, sicut
mors Christi est causa æternæ salutis quoniam ea non sit me-
ra privatio, sed totam obedientiam Christi activam & passivam
comprehendat atq; eminenter ex decreto DEI ad οἰκονομίαν
redemptionis nostræ concurrat.

PUNCT.

PUNCT: III. DISPUTAT.

2. Utrum disparatum de disparato prædicari possit?

I. D. inter prædicationem affirmativam & negativam: Quando quæritur an disparatum de disparato prædicari possit, non tam quæritur, de prædicatione negativâ, quàm affirmativâ. 2. Dist. inter prædicationem Synonymicam & Paronymicam. Disparatum de disparato potest prædicari paronymicè & in concreto. Quod autem ipsum nequeat in abstracto prædicari, inde est, quod *disparatum* & *disparatum* differant essentijs. Atq; ideo non possum dicere Theologia est Philosophia: licet tamen dicere *Theologus est Philosophus*, cum disparata in uno subjecto conjungi, adeoq; de se invicem in concreto prædicari possint.

ARTIC: II. DE MODIS PRIORITATIS, SIMULTANEITATIS, MOTUS ATQVE HABITUS. PUNCT. I. POSITIV.

PRÆC. I.

Prius & Posterius; Simul; Motus atq; Habitus, sunt prædicabilia negativa secundaria, quorum unum de alio negari potest.

ἐκθ.

Hi termini jam non spectantur ὀνολογικῶς, sed λογικῶς: non sub modo essendi, sed sub modo prædicandi. Deinde in sensu Logico hi termini nō expenduntur in præsentia affirmativè, quomodo unus de alio, ob consensum affirmari; sed negativè, quomodo unus de alio ob dissensum, negari potest.

PRÆC. II.

Prius & posterius est quod aliud l. duratione, l. naturâ, l. dignitate l. ordine antecedit aut sequitur, sub ratione prædicandi negativâ spectatum.

B 2

Modus

§. 1. Modus prædicandi negativus in prioritate atq; posterioritate ita fundatur, ut dicendum sit; Prius non est posterius. Et quicquid non est posterius, id non est prius: ita ea: *quicquid duratione antecedit aliud, id non sequitur duratione illud aliud. Et quicquid duratione sequitur aliud, id duratione non antecedit aliud.* v. c. (1) quâ prioritatem temporis. Quia patris generantis duratio, antecedit durationem filij geniti; non dico pater est posterior filio, sed pater non est posterior filio.

(2) quâ prioritatem naturæ dicendum.

Quæ naturali modo essendi antecedit aliud, id non sequitur illud naturali modo essendi. Sic species non antecedit Genus: Individuum non antecedit speciem: causatum non antecedit causam: totum non antecedit partem essentialem atq; integram. It: Genus non est posterius specie: species non est posterior in individuo: causa non est posterior causato: Pars essentialis atq; integralis non est posterior toto.

(3) quâ priorit: dignitatis sic [instituenta prædicatio:

Quæ *prestantius est altero* s. ex natura suâ, s. ex hominum institutione: illud non est ignobilius s. dignitate posterius. Et quicquid est posterius quoad nobilitatem alio, id eodem non est prius. Aurum non est prius rutâ. Et ruta non est posterior auro. Princeps non antecedit Regem & Rex non sequitur Principem.

(4.) Quæ priorit: ordinis dici debet:

Quicquid in plurium conjunctione aliud præcedit vel doctrinâ, vel locatione, vel aliâ quâcunq; consecutione, illud non sequitur idem. Et quicquid *vel doctrina vel locatione* vel aliâ quâcunq; consecutione sequitur aliud, illud non antecedit idem. Sic (1) quâ doctrinæ prioritatem v. c. facilliora non sequuntur difficiliora, & difficiliora non antecedunt facilliora. Generaliora non sequuntur specialia & specialia non antecedunt generalia. (2) quoad prioritatem locationis. Primus non sequitur secundum, & secundus non antecedit primum. Exordium non sequitur

quæitur propositionem; & propositio non antegreditur exordi-
um.

PRÆC. III.

Simul est quod cum alio est vel tempore, vel causa vel divisione sub modo prædicandi negativo consideratum.

ix. 9.

Simultaneitas hîc spectatur quatenus fundit modum prædicandi negativum. Sic ex *simultaneitate temporis* modus prædicandi negativus resultat, in quantum illa, quæ in eodem tempore coexistunt respectu durationis negantur de se invicem. Sic duratio arboris jam existentis non est duratio herbæ jam existentis. Solis duratio, non est luminis Solaris duratio.

Ex simultaneitate Naturæ, quâ quædam recipiuntur in existendi consequentiâ, nec tamen unum alterius causa est ut existat, ita modus prædicandi negativus redundat, ut dicam duratio coexistentis Filii, non est duratio coexistentis Patris. Sic relatum de correlato ratione simultaneitatis naturâ talis negatur.

Simultaneitas divisionis præbet modum prædicandi negativum quatenus differentia proxima ex æquo & immediatè, dividunt idem Genus; nec non species, idem genus proximè contrahunt. v. c. Quomodo rationalitas dividit animal ad eundem modum, non dividit irrationalitas. Quo modo corpus contrahit substantiam ita non contrahit Spiritus.

PRÆC. IV.

Motus est quo corpus physicum l. substantialiter l. accidentaliter mutari & negativè de alio dici potest.

ix. 10.

§. I. Motus jam infert quæcumq; mutationem physicam, tum *substantialem*, quâ corpus vel à non esse ad esse ut in generatione vel *ab esse ad non esse* tendit: ut in corruptione: tum *accidentalem*, quâ corpus vel majorem acquirit quantitatem, uti fit in *augmentatione* vel ex eâ quantitate, quam habet prius, aliquid deperdit: velut contingit in *Diminutione*, vel *variationem Qualitatem* sustinet, quæ accidit aut per conditionem subjecti pro-

B 3.

priam,

priam, aut per alieni cum proprio receptionem vel per *tendentiam alium atq; alium locum occupat*: quemadmodum fit in motu locali.

§. 2. Ex his itaq; motus modis resultat modus prædicandi negativus, ita ut generatio respiciat corruptionem, non affirmativè, sed negativè. Motus generationi proprius, non est motus corruptioni competens. Sic Augmentatio respiciat diminutionem negativè v. c. mutatio augmentationis, non est mutatio diminutionis.

PRÆC. V.

Modus habendi est quo res habet vel substantiam l. Quantitatem l. Qualitatem l. Relationem l. locum & situm partium l. possessionem &c. sub modo prædicandi negativo spectatam.
en d.

Modus habendi jam non expenditur sub *ἕσσει* essendi quæ Metaphysicæ est propria, sed sub *ἕσσει* prædicandi in quantum fundat modum prædicandi negativum. Per hunc igitur habendi modum dicere licet: Quic. habet substantiam ille quatenus habet substantiam non habet accidens. Quic. habet oculum, ille, quatenus habet oculum, non habet longitudinem. Qt. Johannes habet superficiem, eatenus non habet eruditionem.

PUNCT. II. DIRECT.

CAN:

I. Priora atq; posteriora de se invicem possunt efferi negativè.
en d.

Sciqt. unum alteri oppoitur & in quantum inter se realiter differunt. Sic non possum dicere, hesternus dies est hodiernus, sed hesternus non est hodiernus.

II. Quæ sunt simul eorum unum de altero non affirmari, sed negari potest.
en d.

Ratio est, quia inter eadem, non consensus; sed dissensus datur. Intelligitur autem canon, non *sub diverso*, sed *sub eodem respectu*, qt. unum coexistens, alteri coexistenti opponitur. Sic Petrus ratione simultaneitatis non est Johannes. f. coexistentia Petri non est coexistentia Johannis.

Quæ.

III Quae involvunt respectum motus, illa de se negantur,
ex 9.

Sc. qd. una species motus alteri contradistinguitur. Sic augmentatio ratione motus, non est diminutio.

VII. Modus habendi non affirmativum sed negativum suppetat predicabile.
ex 9.

Np. in quantum unus alteri opponitur. Sic cui competit modus habendi substantiam, illi non competit modus habendi accidens. Sic habens aurum, habet Substantiam. E. qd. habet aurum, eatenus non habet scientiam.

PUNCT. III. DISPUTAT.

Q. I. Anne haec predicabilia negativa secundaria habeant locum in conceptibus rerum eminentium?

Resp. D. inter omnia: & inter nonnulla predicabilia negativa secundaria: Conceptus eminentes habent locum, non in omnibus, sic v. c. in motu esse nequeunt, sed saltem in quibusdam predicabilibus negativis secundariis admitti possunt. Ubi tn. D. inter predicabilia haec imperfectioribus immersa: & inter predicab. ab iisdem liberata. Si conceptus eminentes admittere debent haec predicabilia, ipsa prius purificanda sunt, ab omni impuritate atq; imperfectione, quam applicantur conceptibus rerum eminentium. Sic Justificatio hominis peccatoris coram Deo, qua prioritatem, non est posterior Renovatione: cum ipsa, qua ordinem naturae, antecedit Renovationem.

Q. II. Cur haec Secundaria eademq; Negativa Predicabilia huc usq; non fuerint a sertis verbis pertractata?

Resp. I. Dist. inter predicabilia Primaria & Secundaria. Non esse jam sermonem de Predicabilibus Negativis Primariis; sed tantum de Secundariis, expressa quaestionis verba insinuant.

II. Dist. inter omnimodam omissionem: & plenam explicationem. Non statuimus quod haec predicabilia fuerint penitus omissa, sed quod non sint plene explicata huc usq;.

III. Dist. inter eos, qui majori & minori Logices cognitione sunt instructi. Quod illi, qui perfectioni cognitione Logices
fue-

fuerunt præditi, potuerint perspicere, in quem finem, nuda illa Verba, *Prius & Posterius, Simul, Habere &c.* in Postprædicamentis sint adducta, non negamus. Negamus tamen quod, quilibet minus perfectâ Logices cognitione imbutus in illum finem penetraverit.

Ad hunc igitur modum explicatâ quæstione statuimus. Rationem hujus omissionis videri eam fuisse penes Logicos, quod modi *Prioritatis & Posterioritatis, nec non Simultaneitatis, Motûs & Habitus* tam faciles fuerint à quibusdam Logicis æstimati, ut prolixam illorum explicationem duxerint supervacaneam. Utur & alias potuerit operosior labor à diductiori illorum explicatione deterrere. Nam non cui libet sine prævio duce statim est pronum perspicere, quomodo prædicandi modus negativus in *Prioritate atq; Posterioritate atq; sic consequenter in aliis, latens, erui queat.*

Q Væ Logicè dici nequeant, doctissime
Gude,
Tradis & Ingenij munera magna
probas.

Certè magna DEI Bonitas Tibi nocte dieq;
Gnavo, has concessit cognitionis opes.

Sic curæ est DOMINO pauper! sic dote coronat!

Sic sibi fidentem defervisse nequit!

Tàm claris studijs, voveo, DEUS Ipse supernè
Det fructum clarum, dignaq; dona ferat!

Eximia Pietatis & magnæ Eruditionis

Viro. Juveni.

presentis disputat: Respondenti dignissimo.

hec gratulab: aebito calamo dabat


PRÆSES

Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515





5

M. C. C.

LEGGII

OPTICI

Ex

ICA

: VII.

radens

NEGATIVUM

vam

SIDE

VVAGNERO,

Phil: Adj:

NDENS

S Gude/

hil: ac Theol: Studios:

hantium collationi

Christi M.DC.LXXII.

ori Horis consuetis

ojicit.

EBERGÆ

RCKARDI, Acad. Typogr.